Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.

Wien, 1800

Quelle:
Copyright:

ni. Et quidem a *Tabula* Capitum XVII. quorum primum init: *Eructauit cor meum uerbum bonum* &c. *Inter multas et uarias occupationes noſtras requiſiti a uobis* &c. Peccare *Tabulam* docet decurſus Operis, quod Capitum eſt XVIII. E ſeptem Donis ſ. Spiritus eruit Autor totidem Laudes divinae Sapientiae, quae credendo, ſperando, de Peccatis dolendo, et amando Deum perſolvuntur. Objacet ſcribenti Tractatus hic impreſſus *Patavii* 1553. 4. et in Collectione *Operum* Noſtri *Romae* 1555. f. Atque haec eſt per *Ant. Bladum* procuſa Editio, quam a *Bellarmino* indicari cupiviſſet *Caveus Vol.* II. p. 341. Adi etiam *Fel. Oſſingeri Bibliothecam Auguſtin.*

III. *fol.* 28. *Incipit liber Sancti Anſhelmi Cantuarien. Archiepiſcopi de Similitudinibus.* Ita quidem: *Voluntas tripliciter intelligitur* &c Primus ab *Anſelmo* Compilationem hanc abjudicavit *Theoph. Raynaudus* S. J. Ex ejus tamen Sententiis ab *Eadmero* diſcipulo congeſtam fuiſſe, probabile eſt, unde ſemper inſcribi poteſt: *Similitudines*, ſeu magis *Sententiae Anſelmi.* Ejusmodi operam *Proſper Auguſtino* locavit, *Gregorio* M. *Paterius.* Exemplum praeſens definit in Cap. CXCII. *De Verbis Defuncti.* Duo alia e *Mſs. S. Germani* et *Beccenſi* addidit *Gabr. Gerberonius* in edit. *Opp. Pariſ.* 1721. *Append.* p. 189. f. cujus etiam praeviam in Editionis fronte *Cenſuram* vide.

IV. *fol.* 70. p. 2. *Incipit prohemium beati Anſelmi in proſlogion.* His verbis: *Poſtquam opuſculum quoddam* (Monologion) *uelut exemplum meditandi* &c. Succedit Elenchus Capitum XXVI. ſed Opuſculum ipſum in Capite *penult.* ad verba: *et ille ſe et illos per ſe ipſum*, deficit; unde fefellit Librarius adjiciendo: *Das iſt quitt.* Extat *Proſlogion* edit. *cit.* p. 29. et a me utroque *Vol.* non ſemel relatum eſt.

V. *fol.* 77. p. 2. ut e calce adſumendum: *Liber meditationum Reuerenmi Domini Boneuenture Cardinalis et doctoris. Qui ymago uite eterne nuncupatur.* Ejus initium eſt: *Flecto genua mea ad patrem* &c. Non ſemel jam indicatus extat edit. *Lugd. Opp.* 1668. T. VII. p. 105. f. ubi etiam *Soliloquium*, vel *Dialogus*, inter Hominem nempe et Animam, inſcribitur. Multa ejus ex *Hugone a S. Vict. de Arrha Animae* deſumta eſſe, nec Editores diffitentur. Verius hic repetiit Librarius: *Das iſt quitt.*

VI. *fol.* 101. p. 2. *Sequitur liber primus Cur Deus homo Venerabilis Anſhelmi Cantuarienſ. Archiepiſcopi. et primo incipit eius tabula.* Libri deinceps initium: *Opus ſubditum propter quosdam* &c. Accedit *Liber* II. integer pariter, prout habetur uterque edit. *ſupracit.* p. 74. et a me pluries relatus. Ad calcem Codicis legitur: *Completum eſt preſens opus diuina coadiuuante clementia Per manus Stephani Treperger Anno Domini &c. Quadringentesimo ſecundo. Laus Deo.* Et infra: *Eſſ vns nicht.* Q. d. Noli nobis illudere! Scutum Fronti adpictum, quod